

BX 1756

.F3

C4

v.3



1080015975



Biblioteca Alfonso XIII
Madrid

R. P. MATTHIÆ FABRI

E SOCIETATE JESU

CONCIONUM PARS ÆSTIVALIS

DOMINICA I. POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. XX.

In illo tempore, cum sero esset die illa, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis : Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. Deinde dixit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

CONCIONES.

- | | |
|---|---|
| I. De iripi. ci pace. | IX. Mystera evangelii seu catechesis. |
| II. Christus cur toties in medio. | |
| III. Cur retinuerit Christus quinque vulnerum cicatrices. | CONCIONES AUCTARIÆ. |
| Quomodo credendum. | I. Cur stemus ad orationem tempore paschali. |
| V. Media ad conservandam idem. | II. Cur insufflav. in discipulos Dominus. |
| VI. Fructus exercitii de omni præsentia Dei. | III. Cordis pax quomodo pasanda. |
| VII. Præstantia et dignitas muneris sacerdotalis. | IV. Ovum aureum, potestas remittendi peccata. |
| VIII. Documenta ... alia ex evangelio. | V. Signa ... uscitatorum secundum animam. |

TOM. III. — PARS ÆSTIVALIS.

003680

CONCIO I.

DE TRIPLICI PACE.

- I. Pax cum Deo. — II. Pax cum proximo.
III. Pax homini cum seipso.

THEMA.

Pax vobis. Joann. XX.

Sanctus ille patriarcha Jacob Christum resurgentem leonis specie nobis depinxit Gen. XLIX. *Catulus leonis Juda* (ex qua tribu natus Christus) *requiescens, accubisti ut leo, quis suscitabit eum?* Huc enim respexisse patriarcham sentiunt Ambrosius, Augustinus, Gregorius, et alii patres; idemque confirmat S. Joannes, Apoc. V. de Christo resuscitato dicens: *Vicit leo de tribu Juda.* Quis ergo, auditores, non expectasset ab hoc leone ad vitam redeunte terribilem rugitum, quo omnia concuteret, et imprimis Judæos capitales inimicos suos, deinde etiam discipulos, sui desertores terreret, atque exanimis redderet? Verum non leonis rugitum, sed agni potius balatum audimus, pacem exposcentis, non bellum: *Pax vobis.* Turturis illius vocem audimus, quæ post tristissimam illam passionis hiemem, lætissimum pacis verum annuntiat. Columbam illam ex arca Noe dimissam cernimus, redeuntem post diluvium Dominicæ passionis, et afferentem ore suo ramum olivæ, pacis symbolum, ad discipulos pene exanimatos ob absentiam magistri, in eadem domo quasi in arca reclusos, qui inde certiores facti sunt, cessasse aquas diluvii, præterisse tempestatem, quæ obruerat Christum: desiisse luctum, et e contra amœnissimam resurrectionis tranquillitatem mundo exortam esse. Multis quidem injuriis affectus erat Dominus, non solum a Judæis, sed etiam a discipulis, non tamen leonis instar cum rugitu nunc revertitur, nec fert ore gladium atrocesve minas, sed pacem et amorem: *Pax vobis.* Non indicit bellum hostibus, a quibus vita est privatus, non minatur cædes atque strages iis, a quibus est cruci affixus; sed pacem denuntiat, pacem cum omnibus habere cupit, eamque nobis affert, et quidem multifariam, uti nunc videbimus.

Ter in hodierno evangelio repetit Dominus salutationem illam: *Pax vobis*; nequaquam sine causa, quia triplex pax nobis necessaria.

I. Pax prima est cum Deo, quam constituit Christus meritis passionis suæ in Deum et humanum genus, dum hoc illi reconciliavit, solvendo pro eo lytrum peccati, sanguinem suum; siquidem per peccatum genus humanum Deo rebellarat, ejusque inimicitiam incurerat, solo Christi sanguine placandi. Summum hoc Christi beneficium sæpe inculcat nobis apostolus, ve-

luti ad Ephes. II. *Nunc in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe a Deo, facti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra, non formalis, sed causalis, seu pacificator.* Similiter ad Col. I. et II. Cor. V. ait nos per sanguinem Christi Deo reconciliatos. Hujus pacis typus fuit iris illa, quam constituit Deus signum fœderis inter se et homines, ad litteram quidem designans non futurum amplius diluvium: allegorice vero: « Iris illa, (inquit Lypomanus.) Christum significat, qui est signum reconciliationis a Deo Patre nobis donatum. Ipse enim est pax nostra, qui pro nobis advocatus constitutus, in cœlis respicitur; et a Deo Patre, cum carnem Filii sui et cicatrices vulnerum considerat; et a nobis cum illius misericordiam supplices et in fide imploramus. » Unde littera nostra et Hebræus habet Gen. IX. *Statuam pactum inter me et vos: vel inter me et carnem.* In quæ verba scribit Rupertus: « Quodnam pactum est hoc, quod promittitur a Deo? Nam statuam futuri temporis est; sine dato autem et accepto pactum non solet statui. Dicimus itaque pactum istud multoties quidem promissum, sed unum et semel initum, nempe incarnatio vel passio Christi Domini. Hoc solo pacto inimicitia solvuntur, quæ erant inter Deum et hominem. In hoc certa est constitutio pacis cum ratione dati et accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eundem Christum Filium suum, ut salventur per ipsum. » Unde iris, quasi pax, dicta est, ut ait Ticonius, homilia secunda in Apocal. Hanc quodammodo in carne sua depictam ostendit hodie Christus discipulis, cum post precreationem pacis, ostendit eis manus et pedes, seu vulnerum cicatrices, q. d. nolite timere, sed iridem hanc aspice, per quam pax inter vos et Deum constituta est. Ad hanc orbi denuntiandam, primo angeli nato Christo cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus.* Deinde eo tempore pax in orbe (teste D. Hieronymo in Isaiam) universalis fuit, ideoque Jani templum ab Augusto clausum, quod pacis tempore solum fiebat, belli tempore aperiebatur, ut scribit Orosius S. Augustino synchronus, lib. VI. cap. XX. et XXI. et lib. VII. cap. II. « Nam quemadmodum adventante aquila, inquit Hector Pintus, in cap. V. Ezech. avium regina, cæteræ aves alas submitunt et in pace quiescunt, pugnare non audentes: sic adventante e cœlo aquila illa divina, Christo Deo nostro Rege regum, et Domino dominantium, reges terræ quieverunt, quoniam ille apparebat qui est vera pax, de quo ait apostolus: Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum. Quem Isaias principem pacis appellat, qui a cœli veniens fastigio terras lustravit, mortalium animos tur-

bulentis motibus concitatos sedavit, et pacem illis spiritus mirabiliter tribuit. »

Igitur hæc pax a Christo nobis allata, et in baptismo applicata est, ubi in amicitiam Dei suscepti sumus, et applicatur nobis rursus in pœnitentia, ubi post violatam illam pacem de novo recipimur in gratiam. Verum hic, auditores, bene advertendum, quod scribit Isaias, cap. II. pacem illam mundo per Christum allatam, ita nobis servandam, ut ne in posterum Deum peccatis nostris impugnemus. Ita enim ait: *Et constabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Quid autem gladii et lanceæ, nisi sensus et membra nostra, quibus prius, velut armis diaboli, pugnavimus contra Deum? Hæc ergo post reconciliationem illam convertenda sunt in vomeres et falces, id est, in arma justitiæ ad excolendum agrum animæ nostræ et Ecclesiæ; ut jam serviamus Deo membris illis, quibus ante diabolo servivimus, juxta id apostoli ad Rom. VI. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo.*

II. Secunda pax est cum proximo, sed triplici differentia. Alia enim consistit in charitate fraterna et animorum unione, de qua prædictum Ezech. XI. *Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum;* utique illum, de quo Dominus, Joan. XIII. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, novo scilicet modo, ut sitis cor unum et anima una.* Id vero in Christianis impletum scribit Lucas, Act. IV. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Idem prædictum ab Isaiâ, c. XI. *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit, etc.* (quomodo in arca Noe) hoc est, feroces cum mitibus, summi cum infimis. Et c. XXXII. *Sedabit populus meus in pulchritudine pacis.* Hinc toties nobis Christus pacem et charitatem fraternam commendat, præsertim in sermone ultimæ cænæ: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et Marc. IX. *Pacem habete inter vos.* Scivit enim Dominus, nos invictos fore, quamdiu pacem et concordiam servaverimus; quemadmodum et arca Noe salva et incolumis fuit, quamdiu unanimes fuerunt, qui in ea vehebantur. Si enim arcæ animalia, vel inter se, vel cum hominibus pugnant, haud dubie se et arcam pessumdedissent. Lapis Thyrræus integer, quamvis grandis, innatatus, quis, comminutus mergitur, ut scribit Plinius, L. II. c. CIII. Ita quævis communitas aut republica stabit dum consenserit: corruet, cum in partes et discordias secta fuerit. Hac de causa a gentibus etiam magno in honore pax fuit. Romæ a Tiberio imperatore templum Concordiæ extractum fuit, ut hominum inter se odia et si-

multates in eo factis sacrificiis deponerentur, teste Suetonio et Blondo L. II. de Roma instaur. Nec procul inde prope montem Palatinum templum pacis magnificentissimum, ut hodie adhuc ostendunt ruinæ, a Vespasiano instauratum. Quoties etiam inter virum et uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum deæ Viriplacæ veniebant, et ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione deposita revertebantur concordēs, Val. Max. I. II. c. I. Ex illorum numero Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nagenariam, ipse natus annos LXXVII. gloriosus est, quod nunquam cum matre in gratiam redisset, eo quod nunquam eam offenderat; quod nunquam cum sorore sibi pene coæva fuisset in similitate. Hanc vocem se ab ipso audisse scribit Corn. Nepos. Quod si hæc gentiles: quid decet facere Christianos? Hi non solum cum propinquis et amicis, verum etiam externis et inimicis, adeoque cum omnibus, pacem non naturæ, sed gratiæ; non gentiliū, sed Christi pacem habeant, oportet, si præcepto Christi velint satisfacere.

Alia in religione consistit ejusque unanimi consensu. Qualis etiam pax fuit primorum Christianorum idem credentium et sentientium, estque adhuc omnium catholicorum. Eam Corinthiis commendat apostolus, I. Cor. I. scribens: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes. Sitis autem perfecti* (Græce *coagmentati*, vel *perfecte compacti*, uti verti Theophylactus) *in eodem sensu et in eadem sententia.* Quemadmodum enim arca Noe nisi ejus tabulæ firmiter compactæ fuissent, impetum diluvii sustinere non potuisset: ita nec Ecclesia insultus hæreticorum sustinere posset nisi hac unitate prædita esset. Per hanc autem concordiam crevit in regnum omnium amplissimum, toto orbe diffusum; periire vicissim ex illius defectu hæreses, utpote in sectas mox divisæ. Ut enim nullum ædificium diu stare et sustentari potest, vincula ubi sustuleris; sic nec religio aliqua adaugeri, et ad suum fastigium perducere poterit, nisi pacis hujus vinculis constricta fuerit. Roma materialis ex casa facta est caput mundi: at rediit ad casas ejus imperium per discordias. Roma spiritualis, Ecclesia Romana ab humili præsepio Christi facta est domina gentium, stabitque ejus imperium ob fidei consensum, ab uno capite in membra defluentem. Sunt quidem in Ecclesia diversi status et ordines religiosorum; sed hi in fide et charitate omnes conveniunt, omnes idem sentiunt; quomodo currus Dei Ezech. X. descriptus habebat quatuor rotas, sed omnium rotarum una erat similitudo: rursus animalia quatuor currum trahentia erant quidem diversa, sed

unanimes consensu, et pari passu incedebant. Et quemadmodum in horologio plures quidem rotæ sunt, aliæ majores, aliæ minores, aliæ celerius, aliæ lentius ambulant; omnes tamen conformiter conficiunt cursum suum, et miro modo conspirant in horis diei nuntiandis: ita in fide catholica conspirant ordines et status, tametsi quoad aliqua inter se discrepantes. Non pertinet ad hanc pacem profana illa et politica, quæ sectarios ad tempus admisit in imperium; non enim illis contulit, nec conferre potuit communionem cum Ecclesia, a qua se segregarunt: sed præcise id concessit, ut quiete in imperio degere possent, quoad ipsorum causa cognosceretur, et controversia decideretur; quod jam dudum factum, nulla tamen eorum emendatione.

Alia consistit in quiete et tranquillitate publica ab hostium incursibus et belli tumultibus libera. Magnum et hoc bonum, cum nimirum unusquisque sine timore habitat sub vite sua et sub ficu sua; ut dicitur III. Reg. IV. Tempus enim pacis sereno cælo, tempus belli turbido simile est; proinde exoptanda pax utpote donum Dei, quod nascente Christo in mundum allatum, ut prædixit Isaias, c. II. *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercentur ultra ad prælium.* Intellige hoc de bellis iniquis, ambitiosis et tyrannicis, qualia fuerunt fere gentilium. Non est tamen ea pax semper expediens ad salutem animarum, præsertim diuturna. Constat enim longa pace sæpe corrumpi hominum mores, segnitiam et vitia gigni, ut e stagnantibus aquis vermes, quod in suo sæculo factum deplorat S. Cyprian. I. de lapsis, ubi inter alia inquit: *Quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corrumperat, jacentem fidem et pene dixerim dormientem censura cælestis erexit,* persecutio videlicet. Idem experti sumus superiore sæculo, ubi diuturna Ecclesiæ pax et tranquillitas hæresibus januam aperuit. Ut enim longa malacia propinquam tempestatem navigantibus plerumque minatur; ita diuturna illa Ecclesiæ pax novarum turbarum index, quin et mater erat. Etenim pax divitias gignere solet, divitiæ superbiam, superbia lites et bella, bella calamitates, calamitates humilitatem, humilitas rursus pacem. Atque hic est circulus et circuitus, hic zodiacus vicissitudinis et cursus hujus mundi. Unde exclamat Terentius: *Heus omnium rerum vicissitudo est.* Cæterum ubi pax haberi potest, litibus et bello utique supersedendum est. Ideo cardinalis Bellarminus dicere solebat: *Melior est uncia pacis et charitatis, quam libra victoriæ.* Similiter S. Augustinus, serm. XII. de verbis apostoli: *Nolo habere cum quo litigem. Multo est mihi optabilius inimicum non habere, quam vincere.* Unde apostolus

ad Col. III. suadet: *Pax Christi exultet in cordibus vestris* (Græce palmam ferat) q. d. is se vicisse putet, qui pacem persuasit et conservavit, tametsi in aliis bonis dispendium passus. Nam sicut quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, ut satius sit mori, quam his salutem quærere, velut sugere sanguinem e recenti decollatorum vulnere; ita sæpe præstat ferre injuriam, quam majore incommodo, præsertim sanguinis effusione, ulcisci: ferre pacem etiam parum commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. Et quis non in quiete vitam degere securus, quam in tumultu et metu velit? Denique nonne pax est finis belli? Quod si igitur pax haberi absque hoc tam amaro et sumptuoso pharmaco potest, ad quid arma apprehendas? Fit etiam plerumque divina ultione, ut, qui arma paci præferunt, armis male pereant, juxta id Salvatoris: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. XXVI. Exemplum volumus: Cineas Thessalus, legatus Pyrrhi, regis Epirotarum, regem a Tarentinis vocatum contra Romanos cernens flagrare cupiditate Italicæ expeditionis, sermones intulit per otium hujuscemodi: « Bellatores, Pyrrhe, feruntur Romani, et bellicosæ gentibus imperare multis, quos si Deus superare concesserit nobis, quomodo utemur victoria? Cui Pyrrhus: Illico totam tenebimus (devastabimus) Italiam. Tum Cineas: Occupata inquit, Italia, rex, quid agemus? Pyrrhus: Vicina, inquit, Sicilia est, manus porrigit, dives insula, et populosa, et captu facilis. Hanc expugnabimus. Probabilia narras, inquit Cineas, sed quid? Num Sicilia occupata finis erit belli? Minime vero, ait Pyrrhus, quis enim Africa temperet et Carthagine? Quæ tum erit ad nutum. Quibus superatis, et Macedoniam recuperare, et Græciæ, sine dubio, imperium occupare poterimus. Verum ubi rerum potiti erimus, quid tum? Ridens Pyrrhus: In alto otio, inquit, vivemus bone vir, compotabimus quotidie, et mutuis inter nos sermonibus oblectabimur. Huc Cineas Pyrrhum cum deduxisset sermone: Et nunc quid, inquit, obstat, quominus compotemus, atque otium inter nos traducamus, cum jam teneamus hæc et citra negotium ad manum sint, quæ per sanguinem, per multos sudores, per discrimina petitori sumus, multasque calamitates allaturi aliis, et accepturi? Iratus rex sprexit consilium, bellum gessit, et saxo percussus a vetula in obsidione civitatis perit: » Plutarchus in Pyrrho. (Qui pacis olivam non ferunt, marti hastam acutam et amentatam sentiunt.) Denique pacifici a Christo vocantur filii Dei; necesse est ergo pacis osores filios esse diaboli.

III. Tertia pax est hominis cum seipso, eaque duplex. Prior sita est in pacata et sana cons-

cientia, tametsi ea adhuc versatur in lucta cum dæmone, carne et mundo. Sufficit illi victoria, quæ sæpe consistit in patientia et constanti adversitatum et tentationum tolerantia potius quam in earumdem exclusione et profligatione, ut docet Tertull. I. de patient. Atque ista pax est, quam apostolus in suis epistolis toties nobis commendat, uti ad Rom. V. *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Ad Philipp. IV. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Eamque pene in omnibus suis epistolis præcatur fidelibus, ita eos salutans: *Gratiæ vobis et pax a Deo Patre, etc.* Atque ita salutari domos jussit Salvator: *Intrantes domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui*, Mat. X. Est autem tranquillitas et serenitas mentis, et fiducia bonæ conscientie (orta non ex certitudine fidei divinæ, qua quis certissimo credat sibi dimissa esse peccata, ut volunt novatores: sed ex conjecturis, quæ moralem faciunt certitudinem, se esse in Dei gratia constitutum) cum quis scelerum venia in baptismo vel pœnitentia accepta, uti confidit, mente non angitur nulloque a verme peccati alicujus mordetur. Quæ quidem tantum est bonum, ut S. Tiburtius martyr dixerit: *Omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia.* Apostolus vero ait, *eam exuperare omnem sensum*, hoc est, intelligi non posse quanta sit. Solus ille novit, qui hanc pacem possidet; est enim manna illud absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit, Apoc. II. seu ut rectius dicam, est prægustus quidam cælestis illius manna, quo in cælo pascuntur beati; de hoc enim loquitur apost. ad Rom. XIV. *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto: iustitia, quia est ordo, symetria, crisis et consonantia potentiarum in homine, qualis in hac vita potest haberi, ita ut ratio imperet, corpus in servitutem, passiones ad moderationem redigantur præsidio virtutum.* Pax quia est serenitas et tranquillitas conscientie, nulla gravius peccati nube turbata; gaudium quia *secura mens quasi juge convivium*, Prov. XV. Hoc regnum quotidie petimus in Dominica oratione, ut adveniat nobis, non enim petimus ut statim rapiamur in cælum, sed ut Christus primo per gratiam, et pacem cordis nostri regnet in nobis, ut ita demum nos cum ipso regnemus in cælo. Verum in peccatoribus regnum hoc non reperitur, quia *non est pax impiis dicit Dominus*, Isa. LVII. Neque enim in illis est iustitia, quia nec ordo: spiritus non subest Deo, caro non subest spiritui, passiones et appetitus sensitivus non subsunt rationi. Neque in illis pax et quies; quia ut ibidem ait Isaias: *Impii quasi mare fervens*; quia perpetuo cupiditatum aestu et quasi dæmonum afflatu agitantur: per-

petuis item scelerum aculeis stimulantur etiam in mediis voluptatibus: quo modo Pharaos a ciniphibus seu culcibus nullibi requiem habuit, neque in mensa, neque in lecto, Exod. VIII. Nec denique in illis gaudium, sed animi perturbatio metus iudicii et gehennæ, imo etiam magistratus et hominum quorumcumque, quibus eorum delicta innotescere queunt. Unde ibid. Isaias (juxta versionem Septuaginta) ait: *Non est gaudium impiis.*

Posterior consistit in omnimoda vitiorum extirpatione et passionum subjugatione; ita ut contra rationis imperium assurgere non audeant, adeoque ut per omnia consentiant inter se spiritus et caro; cujusmodi pax non est in hac vita speranda, ut docet S. Augustinus, in 1. Pet. c. XIX. *Id autem nunc pacifici agunt, inquit, domando concupiscentias carnis, ut ad pacem plenissimam quandoque veniantur.* Hanc pacem promittit Deus justis Isa. LXVI. dicens: *ætamini cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam, quasi fluvium pacis, q. d. pacem exuberantem, quæ vos omnium bonorum affluentia repleat et obruat. Ibi sunt perpetui dies aleyonii, quibus nulla prorsus sævit tempestas, nulli exurgunt fluctus, hic perpetui motus, turbines et pericula, ubi semper remigandum et timendum.* Ibi demum passionum nostrarum belluæ omnes nobis subjicientur, quo modo in paradiso subjectæ erant Adamo; hic cicurari omnino non possunt, perdomari solum, cum efferantur, possunt ac debent, rationis cavea et mortificationis vinculis, ne peccati vulnus infligant, coerceri possunt. Sufficit nobis hanc pacem consequi in morte; id quod petiit Simeon ille: *Nunc dimitte servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* » Prohans atque contestans (inquit S. Cyprianus, lib. de mortalit.) tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis turbinebus mundi extracti, sedis et securitatis æternæ portum petimus: quando expuncti hac morte ad immortalitatem venimus. » Ita dudum antea David, Ps. IV. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Hanc denique precamur animabus in Christo defunctorum, dicendo: *Requiescant in pace.*

Triplicem hanc pacem assequi qui vult, Christum adeat necesse est, qui est *Princeps pacis*, uti vocatur Isa. IX. *Ipse est pax nostra*, ad Eph. II. ipse est Melchisedech *Rex Salem*, id est, rex pacis: ipse plus quam Salomon, id est, pacificus: ipse pacem habuit, pacem evangelizavit, ad Eph. II. pacem discipulis reliquit, Joann. XIV. pacem nobis promeruit, interficiens inimicitias in seipso, ad Eph. II. pacem denique sanxit inter Deum et homines. Da ergo, da pacem, Do-

mine, in diebus nostris; quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster, etc.

CONCIO II.

CHRISTUS CUR TOTIES IN MEDIO.

I. In medio duorum animalium in præsepio velut pacificator. — II. In medio doctorum velut doctor. — III. In medio Judæorum velut auxiliator. — IV. In medio discipulorum velut pater. — V. In medio mundi velut mediator. — VI. In medio latronum velut iudex. — VII. In medio discipulorum velut rex.

THEMA.

Venit Jesus et stetit in medio discipulorum.
Joann. XX.

Isaias c. XII. felicissimo nuntio recreaturus populum suum vaticinatur dicens: *Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Quibus verbis propheta nuntiat Jerosolymæ, venturum esse Messiam, tamdiu expectatum, in medium ipsius; jubilet proinde et laudet Deum suum. Ex Hebræo vertunt aliqui: *Hinni et lauda habitatio Sion.* Et apte mea sententia. Quemadmodum enim equi in stabulo reclusi, pabulo destituti, cum desiderio expectant herum, terram pedibus pulsantes, denique ad ingressum ejus hinniunt, quasi jam advertant pabulum sibi adfore, ubi advenit nutritius: ita jubet propheta jubilare habitores Sion, ad Domini sui præsentiam. Sane antequam Christus in hunc mundum veniret, magno cum desiderio expectabant patres. Rursum in triduo mortis Christi, tristabantur miro modo habitatores Sion, id est, Ecclesiæ; discurrabant enim fideles et Christum resurgentem avidi præstolabantur. Ergo hinni et exulta nunc o Sion, quia hodie ingressus est ad te Dominus tuus, et quod amplificat gaudium, stetit in medio tui, ut consolaretur.

Porro sæpius in medio Christus visus est: in medio duorum animalium, cum natus esset in Bethlehem, in medio doctorum repertus in Jerusalem, in medio Judæorum ad Jordanem, in medio discipulorum ad ultinam cœnam et post resurrectionem, in medio mundi, et in medio latronum ad montem Calvariæ. Denique rursum in medio discipulorum post resurrectionem, ut in hodierno evangelio patet. Videamus causas.

I. Inventus fuit in medio duorum animalium, cum jaceret in præsepio. Sic enim scribit Habacuc, c. III. *Domine opus tuum, in medio duorum animalium cognosceris*, uti vertunt Septuaginta interpretes, quos credibile est habuisse correctiores codices, quam posterius acceperint. Hæc

porro animalia fuisse bovem et asinum, juxta id Isaiæ I. *Cognovit eis possessorem suum et asinus præsepe domini sui*; sentiunt multi patres, Origenes, Ambrosius, Augustinus et alii. Voluit autem reperiri in medio bovis et asini veluti pacificator populi Judaici et gentilis. Asinus animal immundum, populum gentilem; bos mundum animal, Judaicum designat. Antequam hæc animalia a Christo conjungerentur, non poterat arari in bove et asino, id est, non poterat confederari gentes et Judæi. Sed Christo mediante coierunt in eandem fidem. Cujus unionis prodromi et typus fuerunt Herodes et Pilatus: ille Judæus, hic gentilis; qui ipso die passionis et mortis Domini, amici facti sunt. Atque hic est lapis angularis, qui fecit utraque unum, *medium parietem maceris solvens*, id est, inimicitias inter utrumque populum, ut ait apostolus, ad Eph. II. Hoc idem significatum est per linteam illud Petro ostensum, in quo erant omnia quadrupedia; quæ occidere et comedere jubebatur cœlesti voce Petrus, Act. X. Linteam enim Ecclesiam significat, quadrupedia, quæ secundum S. Hier. in c. XXXVIII. Ezech. et Orig. hom. II. in cap. II. Gen. partim munda partim immunda erant, populum Judaicum et gentilem designabant.

A potiori pacificare voluit omnes Christianos, tametsi genere, opibus, potentia, doctrina, natura, complexione discrepantes. Hoc enim vaticinatus est Isaias, capit. XI. futurum tempore gratiæ: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur*, (advertite leonem medium reponi inter vitulum et ovem, capitalem alioquin utriusque hostem) *et puer parvulus minabit eos.* Hoc enim significat metaphorice, per Christum pacificandas gentes moribus alioquin admodum dissimiles; gentiles cum Judæis, feroces cum mitibus, divites cum pauperibus, potentes cum infirmis, cholericos cum mansuetis confederandos esse, et a simplici pastore ducendos ac dirigendos. Quod certe factum in primis Ecclesiæ temporibus, et fit etiamnum, præsertim inter religiosos et alios quam plurimos.

II. Inventus fuit sedens in medio doctorum Luc. II. tamquam doctor omnium doctorum et omnium nationum totius universi. Quemadmodum enim sol in medio planetarum constitutus est, ut illuminet tam superna, id est, stellas superiores, quam inferna, quæ scilicet infra solem sunt, et deinde medium cœli percurrit inter utrumque tropicum, ne alios lumine et calore destituat, alios nimio exurat; sic primo Deus solem suum Christum oriri fecit super bonos et malos, et apparere in medio hominum, ut omnium mentes tenebris implicatas illustraret,

quasi *stella matutina in medio nebulae*, Eccl. L. Unde Joannes, cap. I. *Erat lux vera*, inquit, *quæ illuminat omnem hominem.* Verum sicut sol non statim illuminat totum orbem sed paulatim, velocissime tamen percurrendo utrumque hemisphaerium; ita Christus suo evangelio paulatim, etsi citissime, mundum omnem perlustravit. Quod si hunc non omnes vident, ex illorum indispositione provenit, ut cum vespertilioes vel talpæ solem non vident, quia scilicet illi in rimas sese abdunt, hæc vero terram subeunt: quos imitantur multi. Secundo, in vivendi ratione tenuit Christus medium tam exemplo quam doctrina, non tradendo rigidissimam, qualem duxit Joannes Baptista, neque etiam lenissimam; ut sic omnibus omnia fieret et omnes ad se traheret. Ut enim venator dispositis in varios retium angulos sociis, mediam ipse silvæ viam tenet et perambulat, ita enim Christus: ac licet non venator, sed socii feras captent et venabulo configant, captura tamen venatori potissimum adscribitur, qui feras et indagavit, et in retia impulit: ita licet aliqui sancti rigidioram vitam duxerint, quam Christus vel duxerit, vel ducendam suaserit: illud nihilominus Christo ascribendum, qui gratiam eis meruit, ut tam asperam vitam agerent. Monentur hic concionatores, ut simili ratione cum alios illuminant, in medio consistant, nemini subtrahendo lucem veritatis, nec personam reverendo. Ut enim sol illuminat etiam stellas, quæ in firmamento supra ipsum sunt, illi illuminandi etiam et corrigendi sunt, qui videntur sibi ipsis satis illuminati, et sunt superiores.

III. Stetit medius inter Judæos ad Jordanem, Joan. I. velut omnium medicus, consolator et auxiliator, quem omnes facile adire et invenire possint. Sic lignum vitæ in medio paradisi collocatum fuit, ut omnibus obvium esset, et paratum ad instaurandas vires corporis, Gen. II. Hunc igitur in modum habemus Christum in Ecclesia, quasi ubique obvium, paratum nobis mederi in sacramentis, et imprimis in vener. eucharistia: in superioribus, in pauperibus, etc. Verum sicut Judæi in medio sui stantem non agnoverunt nec coluerunt, uti Joannes ait: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*: ita fit hodieque etiam inter Christianos. Licet enim Dominus asseruerit versari se in medio pauperum, et ali in personis eorum, adorari et manducari in eucharistia, coli et audiri in superioribus, multi tamen necdum eum agnoscunt. Ac sicut primi nostri parentes citius adierunt arborem lethalem, scientiæ boni et mali, quam arborem vitæ; ita plurimi Christiani, relicto salutis suæ medico et medicamentis, ad noxia et venena currunt.

IV. In medio duodecim discipulorum suorum discurrens ad lotionem pedum. Sic enim tunc dicebat: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat*, Luc. XXII. Fuit ibi in medio discipulorum veluti pater in medio filiorum, æqualiter omnes complectens amore, et benevolentia, cura, et sollicitudine paterna, ministravit omnibus cibum, porrexit omnibus corpus suum, lavit omnibus pedes, omnes exhortatus est longo sermone, pacem imprimis illis commendans et amorem, quasi hæreditatem paternam testamento sibi relictam. Quare cum eo loco et tempore contenderent inter se discipuli, quis eorum videretur esse major, sedavit Dominus contentionem sententia illa prædicta: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Fuit hoc mirandum in collegii apostolici gubernatione, quod cum Dominus Petrum et filios Zebedæi ad peculiaria quædam loca et arcana familiariter admitteret, veluti ad mysterium transfigurationis, ad montem Oliveti et suscitationem puellæ; ita tamen hæc omnia in reliquis apostolis tractandis fovendisque compensabat, ut quilibet eorum in animum sibi posset inducere, neminem sibi a Christo anteferri. Hinc enim orta est non semel illa inter eos contentio, quis eorum videretur esse major. Non contendebant quod Petrus, vel Joannes, vel Jacobus vellet aut videretur esse major, sed quis eorum videretur major; itaque sibi omnes tales videbantur. Ita nimirum Christus usque adeo in medio eorum erat per amoris et benevolentiae signa, quæ modo uni, modo alteri exhibebat, ut nemo de beneficiis in alterum collatis conquereretur, nemo alteri invideret, quin potius quilibet eorum se plus amari existimare posset. Hunc in modum si unusquisque expendat dona sua et signa benevolentiae, quæ accepit, videbitur sibi in multis prælatus esse aliis, et magis a Deo dilectus, v. g. si religiosus es, prælatus es sæcularibus; si sacerdos, laicis; si doctus, indoctis; si in dignitate positus, plebi; si dives, inopibus; si sanus et robustus, imbecillibus; si pauper, avaris; si æger et infirmus, sanis peccatoribus; si fidelis, infidelibus et hæreticis, etc. Denique inveniet unusquisque peculiare quædam dotes seu naturæ, seu gratiæ a Deo se accepisse, quibus alios præcellit. Discant hinc parentes filios suos æqualiter amare, vestire, educare, et dona sua quoad fieri potest, æqualiter inter eos partiri, ne uni ansam pusillanimitatis, alteri dent superbiæ, atque ita rixas et æmulationes inter eos serant, quemadmodum contigit in domo Jacob, cum ex eo, quod viderent fratres Josephum a patre plusquam ceteros amari et elegantius vestiri, oderant eum et necem ei machinabantur, Gen. XXXVII.

V. In medio mundi, inter cælum et terram, et